

6)

REM,,

PARTES DISTRIBUTA.

tremendae ferulae...  
 rerum subita mutatio!  
 aedes nosciret tristium,  
 puniuntur legibus  
 probrosoque ingenio?  
 s nominaris admodum,  
 agnis culpis poenitentiam!  
 t ipse vir facilime,  
 us nobis quem Dominus.  
 ancta prorsus exercitia,  
 ediem vocabantur strenue...  
 es heu! putabam militum,  
 i campo Mavortis feceram.  
 uid meae pol! proderit.<sup>1</sup>

## SCENA VIII.

OSIUS, et postea MILITES,  
 uducunt PUERUM arcendum.  
 i me molestat? Novi sunt iuvenes  
 eti, fures vel nefarii,  
 guinem vel latrocina...  
 mnes huiusmodi furfuris.  
 cent isti quid in posterum?  
 tis ipsos faciat pensiles.<sup>2</sup>  
 prehendi dum furatur alacer!  
 radu in gradum fiet perfectissi-  
 [ mus!  
 uit, ecastor!, opportunò tempore...  
 praedicat vir omnium sanctissi-  
 [ mus...  
 verba!...

Verba? Verbera at mastigia!  
 iorum virgis flagellanda tergora.  
 africato sufficit vix vulnere,  
 m dura sunt flagellis coria.  
 um numerum).



onus tintinnabuli.  
 introgrediuntur duo MILITES cum PUERO.

OSEPHUS FORNARI, Sponsor.

- TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# ALMA ROMA

QVIDQVID NON  
 POSSIDET ARMIS  
 RELLIGIONE  
 TENET



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus  
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

...

## Sedes aliae tum in Italia, tum apud exteris civitates:

*Alba* (cum off. in opp. *Canale*), *Albano Laziale*, *ALESSANDRIA* (in Aegypto), *Arezzo*, *Avezzano*, *Bagni di Montecatini*, *BARCELLONA* (in Hispania), *Bengasi* (in Cyrenaica), *CAIRO* (in Aegypto), *Canelli*, *Castelnuovo di Garfagnana*, *COSTANTINOPOLI* (in Turcarum Imperio), *Fabriano*, *Fermo*, *FIRENZE*, *Fossano* (cum off. in opp. *Centallo*), *Frascati*, *Frosinone*, *GENOVA*, *Luca*, *MALTA*, *MILANO*, *Mondovi* (cum off. in opp. *Carriù*), *Montblanch* (in Hispania), *NAPOLI*, *Orbetello*, *Orvieto*, *PARIGI* (in Gallia), *Pinerolo*, *Porto S. Giorgio*, *Stena*, *Tarragona* (in Hispania), *Tivoli*, *TORINO*, *Torre Annunziata*, *TRIPOLI* (in Africa), *Velletri*, *Viareggio*, *Viterbo*.

## NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a*) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore convenientium est; *b*) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2%, si mensium duodecim; *c*) parsimoniae fovenda sub specie, anno fructu 3.60%, cum facultate quotidie deferringi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a*) prescriptions compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b*) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c*) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum, tum publicae rei, tum industriae privatae; *d*) litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e*) exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f*) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; *g*) res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegumento solut. lib. 1,50; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. - Singulæ lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. - Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. - Lib. 1.

Premium an  
march. 1  
FORNAR

De anti

Antequ  
cedo,<sup>1</sup> imp  
nulla repu  
optime co  
guae sacra  
quae toto o  
tribus ling  
lato fuit ca  
rectius, ni  
verum tra  
dissenser, c  
stiana sap  
melius und  
rerum nat  
confirmatur  
quando se a  
sare, quod v  
Siciliae atq  
diis compone  
rum si no  
illos nostro

Namque,  
mini, ipsa R  
exigua erat

<sup>1</sup> Cfr. sup. f

ELL. 100.000.000

propriis aedibus  
*Marcello*)

## eras civitates:

*Arezzo, Arezzano, Bagni di Montecatini, Città di Castello, Castelnuovo di Garfagnana, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Frascati, in opp. Carrù, Montblanch (in Hispania), Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, Viterbo.*

## NES ET NEGOTIA.

mine accipit: *a) iuxta quotidianas facultate quotidie exigendis usque dierum quatuor, lib. 50.000; pro computationibus pariter quotidianis, um sex; 4 $\frac{1}{2}$ %, si mensium duos; 50%, cum facultate quotidie defensione 300. De maiore vero summa manu septem usque ad lib. 5000; ad dies*

*tones compensat duarum personarum solvendas; idque pro omnibus um ad formam, iuxta italicam legem vincia requirentibus subvenit; c) in ubi praesidio fundorum publicorum, vatae; d) litteras emitit ex credito maxima aguntur; e) exteros numeros in custodiā accipit, pro iisque t; g) res administrat tum consociationummariae sunt.*

## AE,, Sociis

latine scripta venum dantur,

culi prandium, Milesiae ea facile agendis. – Singulæ

novi flores. – Si tegula aureoquæ titulo, lib. 2,25.

Romam, Actiones drama-

iae, Milesia fabula. – Lib: 1.  
latinis. – Lib. 1.

## ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$ ; sh. 10; coron. 12) *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.*



## De antiqua Christianorum Lingua

Antequam proprius ad rem meam accedo,<sup>1</sup> imprimis in medium proferre nonnulla reputabo. Sanctus Isidorus hac de re optime conscripsit: « Tres autem sunt linguae sacrae: hebraea, graeca et latina; quae toto orbe maxime excellunt. His enim tribus linguis super crucem Domini a Pilato fuit causa eius scripta ». Nil unquam rectius, nihilque, mea sententia, magis verum tradidit, de romana scilicet lingua disserens, quum primum in Urbem Christiana sapientia est inventa. Nihil enim melius undequaque in omnibus cum ipsa rerum natura ac temporum conditione confirmatur. Ac propterea si Plautus aliquando se *atticissare* confitetur et *sicilissare*, quod vel a longe Atticorum mores et Siciliae atque sententias in aliquot comoediis componendis referre nititur, quid mirum si nos antea monebimus maiores illos nostros *Christianæ* fuisse loquutos?

Namque, ut saepius me monuisse memini, ipsa Romanorum lingua admodum exigua erat in iis dicendis rebus, quae

potissimum ad providentiam atque animorum immortalitatem adsurgunt, aliaque quae sub sensu minime cadunt. Nimurum Lucretius, interioris doctrinae poëta multisque ingenii luminibus distinctus, dicere haud dubitavit:

*Difficile illustrare latinis versibus esse  
Multæ, novis verbis praesertim cum sit agendum,  
Propter egestatem linguae et rerum novitatem....*

Haud ita multo post, Seneca, novam temporum indolem praesentiens, bene scripsit: « Cassium Severum primum affirman flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii nec inscritia litterarum transtulisse, se ad illud dicendi genus contendit, sed iudicio et intellectu. Vedit namque cum conditione temporum, diversitate artium, formam quoque ac speciem orationis esse mutantdam ».

Re enim vera, adveniente Christiana religione, quot nova novis vocabulis erant dicenda! Vox ipsa, qua maxime omnis Christianæ sapientiae vis atque virtus innititur, est splendidum exemplum. Quid enim, recenti aetate, significat *Redemptor*? Est qui alium a servitute aut a poena pretio liberat: ita iure ac vere appellatur Iesus Christus, Filius Dei, qui a peccati servitute atque a maledicto legis hominum

<sup>1</sup> Cfr. sup. fasc. mens. Iulii.

genus pretio sui sanguinis eripuit. Apud scriptores autem aevi Augustei hoc idem vocabulum quid sonabat? Redemptor, a *redimo*, erat «qui redimit». Redemptores proprie atque antiqua consuetudine dicebantur qui, quum quid publice faciendum aut praebendum conduxerant atque effecerant, tum demum pecuniam accipiebant; nam antiquitus emere pro accipere ponebatur. At ii itaque redemptores dicebantur, qui quid conduxisserent praebendum utendumque: redemptoris opera erat quum quis in se susciperet aliquid faciendum, pacta mercede, lucri gratia, ut qui alendi exercitus curam susciperent.

Insper haec sunt addenda. Apud nos quam latius patet vocabulum *Crucifixus!* Reapse nihil aliud significat quam «qui est Cruci affixus». Sed nobis eadem vox imprimis exprimit Iesum Christum! Crux vero, a crucifixione D. N. Iesu Christi varie nunc accipitur; ac primum de ipsa Iesu Christi morte cruenta in cruce. «Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est; iis autem, qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est». Significat etiam doctrinam de Iesu Christi morte, aut generatim doctrinam Christi, cuius praeципuum caput et doctrina de morte Christi salutifera.

Ipsa *Religio*, quae antea vinculum est potius cum Deo, nunc proprie metus est divini numinis, ex quo cultus, reverentia et observantia sequitur, pietas, sanctitas.

*Parochus*, graeca vox, proprie dicitur is, cui cura incumbit praebendi ligna, foenum, salem, tectum iter facientibus reipublicae causa. Apud nos dicitur qui curam animarum suscipit, et fidelibus necessaria ad salutem suppeditat.

Inter bonae notae vocabula recentia omnino posueris *Apostolum*, quae et ipsa graeca vox, «qui missus est significat ad aliquid agendum, interpres voluntatis aliquius». Hoc nomine in primis duodecim illi principes religionis Christianae docto-

res nuncupantur, quos Christus a reliquis discipulis re legit, et speciatim misit ad praedicandum Hebraeis et gentibus *Evangelium*. Et hac ipsa voce, qua proprie significatur bonus sive laetus nuncius, nos appellamus in primis Christi sermonem et doctrinam, quia in ea passim feliciter aeterna hominibus annunciantur; deinde praedicationem et munus tradendi sapientiam Iesu Christi; metonymice denique est liber, in quo doctrina Christi continetur.

Ne nimius sim in ipsis verbis revocandis, *Fidem* tandem memorabo, quae dicitur id ipsum quod fidem facit, hoc est argumentum, probatio; et apud scriptores ecclesiasticos, praeeunte *Vulgata*, multipliciter quoque adhibetur ac varie exponitur; universim vero ac latissime est assensus, qui rebus credendis, qui religioni Christianae tribuitur.

Est nova igitur ac recens latinitas, quae adsurgit et novis sapientiae luminibus divinitus repleta, hominibus sese offert; nec iam antiqua illa Romanorum lingua, quae incendens regina se dominam rerum inter populos iactabat, sed humilis omnino eademque simplex ac pedestris, quae destruit ingentes Quiritium animas, et vita superstes imperio evadit.

*Urbs antiqua ruit multos dominata per annos:*

superba nempe illa latinitas, quae paulo ante, per Ciceronem potissimum, ad graecam maiestatem adsurgere visa est, cecidit omnino, nec unquam adsurrexit!

\*\*

Quae quum ita sese res haberent, quid mirum si Romani, qui vel ipsum Ciceronem plus aequo magnifice in foro disserent uti Asiaticum fastidentes reprobarunt, atque ad romanam dicendi modestiam coercerunt, candido ore doctrinam omnino caelestem accipere passi sunt, et Petrum modo latinis verbis loquentem, modo graecis, demum et hebraicis? Quum enim de Iesu Christo diceret, atque in hoc

agendo totus esset, eiusque vox amoris gratia atque oratio festive exsultaret, auditorem animos ad Deum laudandum omnino rapiebat. Quin imo splendidam quandam minimeque artificiosam eius dicendi rationem admirari auditores debebant, quum tam magnum sanctitatis opus ipsis propone tamque arduum nitebatur.

Eius quoque verbum, quemadmodum ab eius epistolis eruere possumus, licet elegantiarum inops atque ab diversis linguis, ut supra monuimus, parce retortum, in recentem eamdemque sanctiorem significationem adhibitum, plurimas tamen et maximas romani ingenii et consilii partes ad suam utilitatem pignorabatur.

Si enim Horatius, egregia Caesaris opera laudatus, exsultans cum populo romano scribere non dubitavit: *Dicam carmen insigne, recens adhuc indictum ore alio; nil parum et humili modo, nil mortale loquar...*, recens Roma, quae, haec mira pectoris exsultatione superbe ignorans accipiebat, quae paulo ante iura dabat armis legesque populis; nunc alma Petri discipula praeclarum pietatis specimen gentibus ultro victrix obtulit.

Et quae rerum copia, quae sententiarum altitudo et abundantia ex eius ore manabat!

Romani autem complures, nec modo tunicati populi, ad eum iam conveniebant. Sed eorum partim in acie illustres esse consueverant; et sui observantissimi et sui iuris dignitatisque sensum retinentes, Apostoli sermonem haud absurdum esse existimarunt. Mox enim Paulus scribere poterat: «Salutant vos omnes sancti, maxime qui de Caesaris domo sunt!».

Sic Dei potissimum munere magnique Apostoli studio lux veritatis romano populo affulxit; gratior sic nova haec eloquentia per vicos ivit et per compita Urbis: domos patricias, Caesarum palatia penetrat: et gratiores soles sic gentibus resident.

I. B. FRANCESIA.

## DE IUVENTUTE

Quid? Visne tu forte Ciceronem aemulari, cum ipso quasi de elegantia contendere, qui olim *de Senectute* scripturus, probe atque sapienter illam aetatem omnibus artibus exornavit?

Longe mihi alia mens est, candide lector, sed modo nonnulla ad Iuventutis laudem in medium ferre, ut quodammodo eius fructus olim forte neglectos maerentes simul degustemus. Iuventus enim, ut de virtute dicere audis, est ipsi sibi honor et praemium, eique qui studet aliquid adiungere et nititur, decerpisse cogitet. Quo facto, quum mihi sit levis quaedam cupiditas nonnulla potius describere, quae ad beatam illam hominis aetatem pertinent, etiamsi quamplurima et iucundissima menti adstare videntur, brevia obiter decerpam.

Et in primis memini me olim in solario quodam haec verba legisse:

*Hora quota est, quaeris? Dum petis, ipsa fugit!*

Haud aliter erit respondendum, si quis quaeviserit de illa aetate aliquid degustare. Quid scire cupis? Elapsa est! Attamen ut bella est, quibus floribus exornata temporibus in annos procedit! Ut omnibus est cura atque studium; ut omnibus eius pulcritudini invidentibus, iterum atque iterum felix praedicatur!

At si omnes, alii alia ratione, iunctis animis iuventutem laudant atque ad coelum efferunt, iuvenes plerumque magnam bonorum copiam quae obtinent nil curantes, citra studium vivunt, hilarant leviter, atque inepte tempora transigunt. Ut rusticus, *miratur, rerumque ignarus, imagine gaudet.*

Felix utique et terque quaterque beata aetas, sua si bona noverit! Haec enim hominis aetas omnium iucundissima, licet fruen-

tibus admodum ignota, ad nos iterum veluti suavis rerum memoria redit, eamque tunc quamquam inepte in mentem revocamus, atque perperam in nobis gaudium innovare nitimur. Reapere harum rerum dulcedinem quum ea frueremur, plannissime ignorabamus.

Tamen iuvat, senescente iam aetate, quum iuvenilia honesto vultu gratius ad nos festinant, aliquantisper diuque mente volutare! Nihil iniucundum, nihil equidem grave, sed pectori tuo *quidquid come loquens, atque omnia dulcia lingens.*

Haec quae de Terentio Cicero scripsit, haud dicere de Iuventute dubitaverim. Ipsa enim, quum fuerit transacta, priora illa denuo in mentem revocare cupimus, eademque oculis inviseremus atque ita tot annos eludentes ac tot rerum discrimina, memoria saltem illis quoque personis delectari, quae nobiscum vitam egerint. Tunc, cunctis gravibus remotis, quae animi iucunditas in pectora mirifice refluit! En ipsi apparent dulces parentum adspectus! Nil itaque mirum, si, uti fertur, neque sane citra fidem esse videtur, ille ipse ferociousimus Diocletianus, qui humili loco natus, adnitentibus militibus, quum ad supraemam rerum romanarum gubernacula pervenisset, domus paternae pauperiem memorans eamdem omnino servari iussit, nihil mutari, omnemque suppellectilem retineri, ut identidem, positis imperialis personae insignibus, ad suos rediens, infantiae iterum delicias omnesque voluptates animo delibare quodammodo posset.

Id ipsum pulcre mente volutabam, quum argutum illud Americani cuiusdam viri commentum recordarer. Qui, lepido sane modo, quum veterem inviseret atavorum domum, amoenosque infantiae locos, omnianque curiose perlustraret, sibi adhuc visum esse confitetur adolescentem ad latera sua, quasi personam genii loci, qui hilari vultu dulcique alloquio, cuncta eius primaevae aetatis ioca memoraret, varias-

que insuper vitae scenas. Hic idem genius, quum de reditu cogitavit, blandulus sese ei comitem addidit, atque adeo visibilis itemque verax erituit, ut ille in humanitatis signum, tesseram itineris duplum petere optime putaret. Tunc modo ei profecturo haec ad aures admovit: « Quum tu hinc abieris, atque haec loca tandem reliqueris, illuc ego manebo! ». Qui, pro re nata, ut mos est americanae gentis, nihil admodum admiratus: « Unam ergo modo – ait mihi tesseram praebe! » Adeo fortis est et in viris negotiosis temporis infantiae recordatio!

Nunquam vero suavior illa in nobis eius memoria, quam quum, senescitibus iam annis, loca prima inviserimus. Nil obstat equidem quominus dulcis pueritiae adspectus eos prosequeatur, nobisque illinc absentibus arrideat, ac suavitatem quanquam medullitus conferat. Et saepius quamquam latens esse videtur atque invisibilis, agit tamen in nobis nostramque pueritiam iterum informat atque ita convertit; uno verbo:

*Omnia transformat sese in miracula rerum!*

Hinc magnum immensumque commodum, quod e prioribus imaginibus atque amicitiis in pueris renascitur, et necessitas, ut ita dicam, hosce tenerrimos calices summo studio colere, quemadmodum industrius cultor in floribus facere solet. Hinc, quum intelligentis ingenii viri omnia aetate in animum induixerint, ita adolescentes esse instituendos, et e veterum lectione formari, ut virtutem inde et decus, nedum acerrimum in litteris iudicium arriperent, candide profitentur se a quibusdam semper dissentire, qui novum pravumque disciplinae genus praedicarent, quae a maiorum institutis, atque a receptis persuasionibus longissime discedit. Ipsi enim altissime persuasum est, adeo esse multum in pueris adsuescere.

Ut autem iuventutis mores a principio

ad virtutem colantur et antiqua suaviter memorentur, complures semper apud nos extiterunt, qui optimis legibus iuxta temporum normam exortis, eo contenderent, ut ad humanitatem atque ad disciplinam puerorum animos informarent. Hi alii alia ratione, ingenium natura receptum pro viribus flectere nitebantur. At quot difficultates, quot simul in ingenis excelldis studia! Si vero homo rem arduam et prope impossibilem aggredi videtur, religio adest, quae, potissimum post Christum natum, qui Magistri personam induere haud est dignatus, labentibus annis, nunc Benedictum excitavit, nunc Anselmum, nunc Iosephum Calasancium, aliosque, qui doctrina ac virtutibus puerorum mentes alerent purius atque colerent. Religio enim, sapientissima divinarum rerum magistra, arrepta occasione aciores ingenio alumnos monet atque retinet; rudes dulcius docet atque instruit, lentioresque verbis instigat, vel corripit, experrectos denique paterna veluti manu ad scientiam perducit; et nullo prorsus labore, sed divina unice voluntate suadens omnia facit. Auctoritate divinitus accepta omnes dulciter hortatur, ut alumni in rebus arduis fortiter durent, ut asperrima aequo animo ferant, ut in prosperis aequales se temperent. Ita scientia et virtus miro quadam modo concordes simul coalescent.

Ita enim modo iuventus esse poterit felix, et perpetuis suis commodis frui. In his adlaborare quisque debet, ne in deliciis vitam transigere praesumat. Sic modo, adiuvante Deo, in caelestibus aliquando quiescere possumus.

Nec sunt audiendi qui puerorum cultum perperam mysterium appellant, atque inde infandum illud placitum referunt atque imprimis improbandum: « Quos Iupiter odit, damnat ad pueros ».

Sapientia vero christiana mirum in modum puerilem institutionem artificio exornare consuevit ac luminibus nobili-

tare. Omnes nos persuaderi studet ipsis divinum magistrum puerorum animulos concredidisse plurimisque verbis commendasse, ut curam eorum diligentem insumat eosque eius nomine alere atque docere. Quid hoc nobilis, quidve sanctius? Ac propterea omni studio adlaborant, ut ad se eos diligenter adtrahant, atque ita Deo cariores fiant magisque accepti.

Scio equidem hac nostra aetate perpetram adesse qui puerorum mentes perpetuo doctrinarum pondere obruunt ac prope opprimunt. Hos ardentes dixeris, eruditulos, atque inanibus tantum modo praecipiti enutritos, qui pueros sibi commissos a scientiae studio fastidiose repellunt.

Pueris hilarem vultum assidue praebe, eisque monita salutaria adde, quae aptius quam crustula, quae blandi olim doctores dare consueverunt, in eis patrum virtutem redintegrabunt, novamque vim inferent, ut ipsi, in sacro proposito insistentes, ad optima semper quae christianos maxime addecent animum intendant.

SENIOR.

## I. B. GRAVINA

### SUO ET NOSTRO TEMPORE LATINITATIS ADSERTOR ET VINDEX

#### II.

Quaestio, quam in superiore fasciculo enunciavimus, haec est: possit ne doctrina de divina maxime et humana scientia, theologia nempe atque philosophica, latine suisque etiam propriis singularibusque verbis expressa, per aliam linguam impune reddi. In eam opportune incidit Gravina in dialogo, quem *de latina lingua* ad Emmauelem Martinum inscripsit, ubi Emmauelem ipsum, vel, tecto nomine, sese inducit cum Proculo quodam, latinae lin-

guae quasi osore, disputantem. Cui quidem haec verba in ore posuit, quae etiam nunc passim audimus: « Ita ne vero? an ideo nobis hiscere non licebit? Quasi non idem vulgares linguae praestiterint, quod uni tu latinae tribuis. Adeone nobis erit maligne?... Ut autem nostram linguam Italia finiri concedamus, an non Gallica praesto erit, quae borealem omnem oram occupavit et una cum Gallorum commerciis vel ad remotissimas terrarum regiones excurrit? Et libris conversis veterum omniumque populorum scriptis Gallice redditis, iam copias et ornamenta cunctarum pene linguarum exhaustis; ita ut ei qui latinam vel intermiserit vel ablegarit, una Gallica possit eruditionis universae campum aperire. Quae enim antea praeterquam latinis patebant nemini, nunc occurunt omnibus non solum viris, sed et foemini... »

Ad haec Emmanuel: « Per te igitur, relictis patriis finibus, ad ceteros tua natione commigrabit. Ut, quum fasces iam diu transalpinis hominibus submiseritis, linguam omnium olim gentium dominam, victricem populorum, commune nationum vinculum, extinguatis: et, quod unum superest vetustae maiestatis monumentum evertatis. Verum ne te ad ius gentium revocem, neve tibi patrii soli caritatem inculcem; utque dederim historias et scientias popularis sermonis luce satis esse iam promptas; integramente in aliena lingua oratores et poëtae propriam venustatem et elegantiam retinebunt? Non te fugit inesse linguis colorem praecipuum et nitorem, scriptoribusque singulis inditam esse patriam urbanitatem et nativum leporem, qui peregrino linguarum ingenio corruptitur; ita ut ingenuus ille flos eloquentiae convulsus e solo suo statim exarescat, ac germana virtus orationis extensis moribus obliniatur. Partium namque complexio, verborum compositio, sonus et numeri, quibus tota constat dicendi venu-

stas dissolvuntur, et ipsae quoque sententiae conciduntur et enervantur; ac vigor et adspectus eloquentiae nativae novis et exteris coloribus inducitur et aboletur; imo scriptoris sensus ipse pervertitur interpretis vel negligentia, vel, quod non raro accidit, imperitia: vel quia peregrina lingua Romanae aut Graecae copia, ubertate ac vi minus plerumque respondet. Verum fac ut interpres eandem venustatem ac veritatem et sanitatem orationis aliena lingua reddiderit; fac ut popularis percurrat, quoisque Romani sermonis amplitudo diffunditur; spem certe diurnitatis, quae a Graecis et Latinis ostenditur, peregrinis nunquam attinges. Latina enim lingua Romanorum armis et commercio simul cum imperio in omnes fere orbis terrarum regiones penetravit, et ubique disseminata est, sparsis atqne etiam continuatis saepe coloniis; praecipue vero propagata est et conservata legibus atque iudiciis... Nec parum ad illius firmitatem et usum contulit auctoritas Ecclesiae Romanae, quae Graecis disciplinis auctoritatem latinarum litterarum opposuit, qua, veluti nota quadam iurisdictionis et imperii, suos a Graecorum moribus discrevit, ut quo latius Ecclesiae Romanae potestas excurreret, eo altius sermonis dignitas emineret».

Gravina rem, uti patet, altius repetit; generatim scilicet loquitur, atque de oratoribus praesertim ac poëtis; sed si alienae linguae interpres nedum eorum venustatem, sed *veritatem* et *sanitatem* redolere nequit, quanto magis idem dicendum est de disciplinis, quae stylum suum, imo sua verba sibi constituerunt? « Qui enim sensus initio vocabulis est innatus, is haeret perpetuo». Quod quidem eo magis evenit, quia latinae linguae, christiana factae, terrarum oras omnes aperuit novi imperii maiestas; quae tanti fuit, ut non modo populos, inter se regionibus moribusque disiunctos, sed scientiam omnem suo com-

mercio comprehendenter. Id autem, Gravina ipso teste,<sup>1</sup> de vulgaribus linguis sperare minime fas est: deest enim illis et amplitudo imperii et inventorum dignitas et auctoritas antiquitatis et consensus denique universorum. « Quamobrem uni scriptores latini... inventis cogitationibusque suis perpetuam vitam nullis finiendam limitibus comparaverint. Atque hīc tibi utilitatem solum latinae linguae proposui. Voluptas vero est illius tanta, quantum, si Graecam excepiris, aliarum linguarum habet nulla. Usque adeo et ornari potest et contrahi modo, modo laxari ac ad numerorum et sententiarum varietatem flecti, et verborum luminibus mirisque translationibus illustrari. Habet enim illa, quo praestet ceteris, nempe varietatem terminationis, qua singularum vocum certas et praecipuas affectiones sive casus in nominibus, personas in verbis, numerum in utrisque notet atque distinguat. Hinc ad numerorum et ornamentorum rationem duci verba possunt arbitratu dicentis, ita ut, sententia minime obscurata perturbatave, traiectis verbis numerose atque concinne cadat oratio. Quibus ornamenti omnibus vulgares linguae carent, quoniam earum voces plerumque unica terminatione proferuntur, et signis tantum praepositis eaurum variae affectiones enunciantur, idemque sermo verborum trajectionem, qua maxime numerus conficitur, minime patitur, neque fert latiorem excusum, ac liberam partium collocationem; nam, nisi eadem semper utaris compositione verborum, sententiam facilime obrueris et obscuraveris, ut, qui voluerunt in vernacula linguis idem experiri quod in latina, eruditissimi illi quidem et dum latine dicent eloquentissimi, tamen habitu sint in vernacula putidusculi. Latinis autem verbis sententiae concluduntur gravius, et validioribus nervis singulae partes uno

ductae ambitu contorquentur, quum sermo vernaculus laxus plerumque sit atque remissus; saepius enim sententiae verbis, quam verborum collocatis sententiis est accommodanda, quia non licet arbitratu scriptoris orationis locare partes.

« Mitto nunc latini sermonis leporem et veneres; mitto vocabulorum ubertatem et significationum foecunditatem; mitto particularum, quae quasi orationis fibrae sunt multitudinem, nexusque facilitatem et gratiam; mitto verborum copiam, iam diu ab antiquissimis scriptoribus ad usum artium et doctrinarum comparatam; mitto elegantiam; mitto maiestatem et in ipso verborum sono imperium consulare. Nihil commemorem, quantopere flexilis sit et facilis ad omne genus orationis, quam gravis in sublimi dicendi genere, quam suavis in mediocri, quantum in humili perspicua ac lucida. Praetereo accentuum varietatem, et consonantium atque vocalium literarum permixtionem, quibus tantus lepor sermoni conciliatur, si aptae componantur voces ac permisceantur, ut nihil numerosius incidat in aures, nihil animum illabatur iucundius ».

Ex quibus facile deduci posse appetet, facilius ac rectius a vernacula linguis in latinam, quam a latina in vernacula linguis translationes efficere esse datum; dummodo tamen ita latinum sermonem ita tractare vertenti liceat, ut vocum singularum proprietatem et nativum germanumque sensum fuerit assequutus. Hanc vero latinae linguae cognitionem fatendum est a scholis, iisque seminariorum, ubi scilicet theologicae, nedum philosophicae, doctrinae doctores creantur, exsulasse, quanta cum iactura et dedecore nemo est qui non videat.

Exsurgat tandem redemptionis dies, quo nullus fortasse aptior quam nostro hoc tempore accidet, quum novus ab integro saeculorum naturus est ordo; amissaque palmae ludus instauretur, et ab ipsa hac

<sup>1</sup> Ibidem.

Roma; praesertim quum - cum nostro Gravina abhinc duobus saeculis defuncto, sed adhuc loquente, etiam concludemus - studiorum regimen nusquam sit magis quam Romae necessarium ».<sup>1</sup>

ROMANUS.

<sup>1</sup> Oratio de instauratione studiorum ad Clementem XI P. M.

## BELLI ORIGO

### FABULA

Lamentabatur saepe se Tellus premi  
Magna natorum turba feris moribus.  
Pater Deorum, linquens caelestem domum,  
Comite Mercurio terris errare statuit.  
Vidit quo humana processisset pravitas,  
Et ira accensus dixit excelsus Deus:  
« In vetitum semper omnes mortales ruunt:  
Timor Deorum nullus est, nulla pietas:  
Fides et aequum sunt ignota nomina:  
Insidias patri filius, nato pater  
Molitur, frater fratri, coniux coniugi:  
Libido sola regnat aurique aviditas.  
Iam non ferenda nobis tanta audacia.  
Tu, qui praecepta nostra curas, Mercuri,  
Descende mox in inferos et hinc novum  
Monstrum in perniciem gentis duc nefariae,  
Pondere quod Terram sibilevet nimis gravi  
Descendit atque tetris ille sedibus  
Immane monstrum, nubes tangens vertice  
Duxit: centum angues cingunt illius caput;  
Movet lacertos centum: tabo fluant  
Vastis quae centum linguae vibrant oribus,  
Et triplex ora munit ordo dentium:  
Stant oculis flammae; centum par tonitribus  
Vox orbem terret; exit interdum inferis,  
Et terris errat, morte complens omnia.  
Feroci monstro Bellum nomen inditum.  
Monstrum hoc carnificum gentium pater fuit,  
Quibus fuere immanes caedes gloriae  
Et ferro ignique plane regna perdita,

Vocant quapropter magnos invictos duces,  
Laudibus effertur magnis id nefas ita,  
Quo nullum est maius ausa humana iniquitas.  
Quis autem novit illos praestantes viros  
Suis inventis de nobis bene meritos,  
Quibus fuere cordi haud arma et funera,  
Sed pacis studia cuncta quae vitam excolunt?

RAPHAEL CASTELLI.

## VETERA ET NOVA

### De navibus in profundo mari navigantibus.<sup>1</sup>

Napoleon ille armorum collector anno MDCCXIX Coessin fratribus commisit, ut studia subaquearum lintrium redintegrarent, quibus potissimum hostium navibus maxima damna inferrentur. Novus itaque *Nutilus* constructus est, hominum novem capax, sulphuratisque sacculis munitus, quorum opera hostiles naves incenderentur. Effectus vero haud meliores obtenti sunt quam ex Fultonianis periculis; quae in Americis ab illo machinatore resumpti fuere. Scilicet novam navim mente concepit quattuor supra viginti pedes in longitudinem patentem, quae in maris superficie procedens, obsidionis tempore immergetur, nullum sui relinquens vestigium praeter tholiolum ad scrutandum. Propulsionis vis per rotam batillis munitam, a nautis auctam, tanto silentio fiebat, ut machinae nomen inditum fuerit *Mutus*: propriis ballistis instructa erat, quae glandes per aquam emitterent. Fultonii vero mors impedivit quominus huiusmodi tentamina optime perficerentur.

Die XII Ianuarii MDCCXVIII Fulginii in Italia Caietanus Marchetti Tomassi ora-

<sup>1</sup> Cfr. num. sup.

tionem de rationibus sub aqua navigandi dicebat, versiculisque fultus Psalm. CVI, 23-24: « Descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini et mirabilia Eius in profundo »; atque Job (XXVIII, 11): « Profunda quoque fluviorum scrutatus est, et abscondita in lucem produxit », anteactaque hinc inde de re experimenta quum revocasset: « Cymba quaelibet-aiebat-sub aqua incedere potest; tormentum bellicum quodvis in ea agere licet, quum pyrographae suea vim nullam perdat; per quodlibet tempus cymbae ipsi sese abscondere in profundo datur sine ulla nautarum spiritus interclusione; cuique homini eam ingredi indeque cum rebus suis exire fas est, atque in profundo mari tamquam super terra in studiorum vigiliis manere... ». Si “gravitas specifica”, cuiusdam corporis compar est specificae gravitati aquei voluminis, corpus, quovis in loco fuerit collocatum, haerebit immobile; si gravitas augetur, in fundum descendet; ea autem imminuta, supernabit. Deduco inde, dilatato aut ad stricto cymbae volumine, facile ipsam a profundo mari ad superficiem trahi. Mihi vero facultas facta est qua cymba, uno eodemque servato volumine, immergi posset; pondere scilicet, quod cumulasse... ». Quod quidem per aquam auctor obtinet, opportuno tempore in cymbam inductam. Aquae autem columna per prementem machinam pneumaticam reiecta, retorto tubo in proram exploderetur: tum navis quae in fluido ad aequipondium adducta esset, velociter curreret, atque gubernaculo suo statutum aggredieretur iter.

Ne longiores simus, neve in subtiliora nos ulterius involvamus, auctoris vox tamquam in deserto clamans nobis obiicitur. Quo autem non mentis tantum cogitationes sed facta recenseamus, in septentrionalem Americam redire opus est nobis, ubi Johnson navarcham invenimus adlarorantem, quo per submarinam navem

Napoleonem in S. Helenae insula captivum liberaret. Facinus vero mors celeberrimi illius imperatoris interceptit. Tum Johnsonus in Angliam transivit, ibique sub Tamesi flumine iterum, post saecula, navigavit; mox in Hispaniam, cuius gubernio lintrem a se fabricatam obtulit contra Gallicam classem Gadibus operantem. Qui belli vero eventus illis ipsis diebus facti sunt, ne siverunt quidem Johnsonianam industriam periclitari.

Eodem tempore in Gallia subaqueae navigationis studia repetita sunt Montgery ducis opera, qui novum idque singulare invenit, gubernaculi usum ex horizontali asse ad immersionis immutationes efficiendas; quae ratio longe lateque deinceps adhibita est. Qui vero subsequuti per aliquod tempus sunt de subaquea navigatione conatus, in id maxime incubuerent, ut machinae exstruerentur ad res in profundo mari demersas recuperandas.

In Russico bello Speridonoff, navarcha, rationem exhibuit subaqueum navigium movendi per machinam ex compresso aere in ipso navigio positam, cui pneumaticus tubus alimentum praaberet in communis navi collocatus. Subaqueum navigium per flexibles tubos huic navi adhaerebat, ita vero ut in finito nimis spatio ipsi liceret operari.

Paulo post, anno nempe MDCCCLVIII, Bourgoin, classis praefectus, animadversiones suas de argomento vulgavit, in quibus praecipua capita de re ad diligissimam trutinam vocabat: modos scilicet ad hostilem navem accedendi eamque adorandi; quomodo ad constitutum fundum navigium immergi indeque iterum deduci posset, atque navigium quo velles dirigi; rationes denique quibus adversae naves frangerentur. Huiusmodi liber subaqueae navigationis studia in honorem revocavit, fuitque causa multarum de re propositionum, ex quibus maxime probata sunt quae classiarus machinarius Caro-

Ius Brun exposuit, cui munus navigii conficiendi commissum a gubernio est. Quum vero anno MDCCCLXIII eius *Plongeur* - (hoc enim *Urinatoris* nomen inventor ei dedit) - mari est concretitus, haud facile esse apparuit navigium, sive quiesceret iive iter faceret, in constanti profundo servare; itaque ad marinum museum Parisiense est delegatus, ubi etiamnunc custoditur.

Contentiones novae in Americis agitatae sunt durante bello, quod a secessione est nuncupatum; novi vero nihil est inducunt praeter « torpedinem » tamquam offensionis arma. Hinc Whitehead, Anglicus vir in Austria commorans, « torpedinem automobilem » suam deduxit, quae non quidem subaqueum exstitit navigium (nullum enim gubernatorem secum habebat); sed agendi eius ratione digna est quae inter crescentes in diem de subaquea navigatione progressus recenseatur. Hac enim automobili torpedine submarinam cymbam suam, classiarios tres continent, Nordenfeltus instruxit, quam anno MCCCLXXXV Stocolmae in immersione poene invariabili continere valuit. Pluribus partibus navigium interius erat distributum, in quas aqua inducebatur quum nauta ipsum submergere vellet. Tholiolus unus, ad circumspiciendum, extra pontus eminebat; omnia vero in aquarum profundo occultare licebat, per motum binarum helicarum horizontalium; quo cessante, sua vi navigium ad superficiem remeabat. Torpedinem denique in tubo ante navigium reconditam compressus aer suo tempore iacula bat.

Huiusmodi ratio submergibili bus navibus plus minusve etiam nunc, uti vidi mus,<sup>1</sup> adhibetur: Waddingtonus, Lirpliensis, torpedini silurum sufficit; Campbellus aliquie Americani machinatores electricam vim ad propulsionem substituere.

<sup>1</sup> Cfr. an. IV, fasc. VI, pag. 107.

\* \* \*

Longo tandem saeculorum itinere sic exacto nihil nobis denique restat, quam ut ex animo ominemur, tot studia totque de submarina navigatione contentiones non quidem ad mutuam necem, uti nunc, adhibeantur; sed ad populorum bonum et ad commerciorum divitias augendas, in liberi ac pacifico concursu, versentur.

I. F.

## COMMUNIA VITAE

### Invitatio ad caenam.

Me mox amicus invitare voluit  
Ad caenam domi litteris tenerrimis:  
« Habebis pauca, nec urbane condita,  
Uxores adsolent ut saepe villici.  
Erit sed panis niger, nec sapidulus,  
Nec miti pretio, datus per tesseram...  
Erat sat olim si pecuniam dederis;  
Habere tesseram nunc opus admodum.  
Fiunt ut audis bellico pro tempore;  
Nobis inventum quod nepotes crederent!

Absit sed omnis indignatio a litteris.  
Istis aestatis diebus ne canicula,  
Tibi sit forte pectori fastidium,  
Nec musca taedium ferant vel culices,  
Parabo in hortulo frugalem mensulam.  
Ventus sed gratus recreabit animos;  
Et istud magnum naturae spectaculum,  
Erit si primum ferculum, non ultimum.  
Ecce pisciculi in primis, et optimi,  
Nostri quos viventes cives adpellant;  
Mea ferantur quod piscina e proxima.  
Erit pulmentum fumans et in medio  
Et omnes angulos implens fragrantia.  
Adest ad opus candidus funiculus,  
Ut arte sumas quando et quum placuerit,  
Tuamque famem maxime sic mitiget,  
Nostris et dentibus raris percommodum.  
Optare hoc memini transacto tempore,  
Quidem quod reputo labente melius,  
Plures nos aetatis vexant quum molestiae.  
Stomachus quoniam temnit vulgaria,

Amatque cibos naturales, simplices,  
Erunt et aves turdi cum passeribus,  
Nobis quos rete procurabit plurimos.  
Quam pingues, teretes et molles adipie!  
Nimis ne taedium ferat conversatio,  
Stabit pagi cantor dicitur qui maximus,  
Canet qui veterum cantus et recentium,  
Sua quos sustinet fumosa cithara.  
Eius sed arguta plerumque carmina  
Ab ore currunt nullo prorsus ordine,  
Erunt et nimius numerosa intentidem,  
Alternis pedibus numerosa libere.

Tu, qui poësi calles et ingenio  
Et nostris passim delectaris vatibus,  
Mei cantorem pagi quam laudaveris!  
Est istud pulcrius ceteris obsonium.  
Mihi ne rescribas, attamen, sed veni ».

Sic invitatus lepidis epistolis,  
Eo me contuli laetus quam maxime.  
Fuit quae caena pacis et dignissima,  
Meum quae vicit omne desiderium!  
Fuit ciborum nam quae sita electio,  
Suaque impletur aves quae fragrantia,  
Et omne punctum tulit cantor meritis.  
Fuit sic cena recte suavissima,  
Digna quae magnis extollatur laudibus.  
Adhuc meum pectus hilaratur dulciter,  
Et inter ora diu stant reliquiae,  
Manetque in posterum dulcis memoria.

SUBALPINUS.

## HYGIENICAE NOTAE

### Quomodo curetur insomnia.

Ad C. R. ALMAE ROMAE socium.

Mihi nuperrime tu litteras dedisti, quibus, te maxime insomnia laborare, maerens accepi. Scio enim, et iamdiu sciebam, quam gravis sit haec mortalibus molestia, et quid fastidii, quum in lectulo quieturus versaris, et somnus, mentis corporisque solatium, ab oculis aufugit.

Re quidem vera, nihil est in terris, molestius, mortalibusque odiosius, quam

istoc morbo laborare. Quum enim stas in lectulo, et magnum est circa silentium, et dulcis quies incipit per omnium membra serpere, ipse solus, miserum in modum mente cruciaris, tribularis nervis, et somnum frustra enixe ad temet instaurandum precaris. Ad haec, horae quae lentius inter noctis silentium succidunt, dum tibi acrius tantillam quietem auspicaris, nullumque admodum solatium corporis afferunt, mala e contrario augent, supplicium paene intolerabile gignunt; uno verbo haec est multorum incommodorum origo.

Quae quum ita sint, tu a me cupis huiusce morbi praecipua cognoscere remedia. Quid tibi dicam solaturus nescio. Et doleo imprimis, quod te tot molestiae veluti apes fastidiosae undique circumdent, et perpetuis te prorsus aculeis lancinant atque cruentent. Horatius, ut bene nosti, iocose, more suo, remedium suggestit optime congruens aptumque ei, qui laude inani torquetur. Hunc laudibus tumentem monet, ut optima quaeque legat. Ait enim:

*Laudis amore tumis? Sunt certa piacula, quae te  
Ter pure lecto possunt recreare libello ...*

Et tibi hoc idem consilium dabit solatium.

Nihil enim aptius neque commodius iuvabit, ad quietem reconciliandam, quam optimorum librorum lectio. Hisce mecum utere, et videbis.

Prius tamen adsunt aliquot causae, de quibus est disserendum, ut radicitus quodammodo ipsum morbum agnoscas. Tres plerumque passim recensentur. Incipit hic causae morborum historia.

In primis modo hic, modo ille corporis dolor te molestat, saepe gelidus sanguis hebet, demum nervorum causa torqueris. Itaque si dolor aliquis molestam vigiliam tibi affert, saepe si parce *opium* sumpseris, aliosque huiuscmodi sales ei affines, optime valetudinem curabis. Horum autem salium injectionis inter cutem admirabilis

est virtus. Sed si in partes ea sapienter dividas, et in centesimam gramatis partem atque *opii* pilulam, aut decem *lau-dani* guttas sumpseris, brevi tempore et sine labore salutem adsequeris.

Cave tamen ne ipsum opium graviori periculo tibi sit longe aegrotanti. Scis enim quam potens sit callidumque venenum!

Antequam ad alteram morbi speciem adgredior, optimum factu reproto, haec obiter, ad consilii modum, in medium afferre. Quoniam mentem potius perturbat hic morbus, et homo intimius moralibus causis territatur, iuvabit identidem, huiusmodi agrotantes, omnibus posthabitis humanis remediis, ad religionem promptius confugere, eiusque sancta monita in mentem revocare, atque intermissis fortasse eius muneribus ferventiori studio operam navare, ac quieto animo obtemperare: saepe enim haec est mentis potius aegritudo quam corporis, quae sanctissimi conscientiae nostrae magistri consilio excutitur.

At tu irato vultu me abrumpis: Heus! tu personam prophetae sumis et verba illa solemnia adhibes, qua te potius religiosum hominem referunt, quam medicum artisque salutaris peritum, et me improbum insimulas, meritoque malis vexatum atque adversa valetudine.

Ne irascaris, queso, et imprimis patere me generatim securi radices ipsas morborum extirpare. Horatium autem ipsum, morum custodem ac parentem audi, ut ad fontes redeas remotos hortantem, utque haurire patiaris *vitea paecepta beatae*.

Hisce positis, libenter ad remedia congruentia iterum venio.

Quamobrem, si hunc morbum expellere vis, et *chloralium* recipere potes, ea utique ratione, ut somnum plerumque gignat ac promptum, absque ulla prorsus capitum gravitate. Memento tamen, nec unquam e memoria recedat, et hoc remedium periculosum admodum esse, ac propterea summa esse cura sumendum. Ad

haec, recipias etiam cautus *potassii bromurum*, quod principem optime remediorum appellaveris, eo quod sensim sine sensu homines ad salutem perducat.

Adest et ultimum omniumque sane gravissimum insomniae genus, ad quod debelandum multi hactenus ac praestantissimo ingenio viri frustra adlaborarunt. *Nevrasthenia* haec est, et appellatur, quae nostra potissimum aetate miserum in modum homines torquet. Multa equidem pertulit abhinc paucos annos I. Kneip, vir clarissimus apud Bavarios, qui nulli adhuc medicorum ordini adscriptus, sed natura ductus, ac vigilantia, celeritate et diligentia, reluctantibus primum atque irridentibus, mox demum omnibus admirantibus, novam curandi formam invexit, quae, tota in aquis innixa, vera multaque rerum miracula in hominibus curandis perfecit. Nos vidimus quot ab omnibus late gentibus ad ipsum aegrotantes frequentissimi accederent, et alacres breviter reciperent salutem, quam in aeum amissam medici putarent.

Est denique insomnia, quae pravo liquidorum usu producitur, et mentem perverse inebriat et corpus mille incommodis debitum et frangit.

In his pone vini abusum, caffei (et intentidem tabachi) aliaque multa, quae recentiores acriori studio in reprobum modum adhibent ac valetudini sunt in primis adversa. Ab his ergo omnibus abstine, ab his te eripe flammis, ac tamquam a facie colubri, si tibi est cara salus, fuge constanter, et nullis obstantibus mentis illecebris in proposito mane. Accipe denique haec tria de re Salernitanae scholae paecepta:

*Sex horis dormire sat est iuvenique senique;  
Septem vix pigro; nulli concedimus octo!  
Ad minus horarum septem fac sit tibi somnus.*

Quid melius? Quid optabilius? Et tibi, qui somno laboras, salubria clarissimorum virorum consilia, libenter auspicor. Vale.

Fr. ANACESI.

fringere, et in latus deinde facta conversione, firmiora aggredi a tergo iussi.

*Census manipolorum.* — Census totus: praefecti V, gregarii a ducenis quinquagenis ad sexagenos et ducenos. — Census tenendae fossae: praefecti IV, a ducenis vicenis gregariis ad ducenos tricenos.

*De situ exercitus percontatio.* — Indicia impetrari non possunt. Vix locum ubi in acie intererant, indicant captivi.

*Loci communes.* — Captivorum habitus omnino bonus, et qui experrecti videntur. Bellum adhuc in «fratris maioris» conspectu sibi in praesentia ponunt, qui oppressis succurrit fratribus ac sororibus, ubique amice acceptus.

Iustitiae tamen fundamentum aliquod sensus eorum habent: pars maior captivorum, defendendae patriae suea causa, cum simplicitate comprehensibili loquentes, in Europam fassi sunt venisse. Pauci quidem genere sunt simplici Americani; externis autem orti plerique parentibus. Attamen hi semi-Americanoi, qui fere omnes in America nati sunt, in Europam nunquam venere, et merorum sine ulla dubitatione Americanorum habent sensus.

Tornoduri in Gallia.

I. TASSET.

## PRO IUNIORIBUS

### De urbanis moribus.<sup>1</sup>

Sunt etiam qui nullum unquam dicendi finem faciunt, et, uti ventorum vi semel impulsa, licet vela contrahantur, non tamen subsistit, ita quodam veluti impetu rapti fluunt, nec, materia deficiente, deficiunt; imo vel dicta iterant, vel orationem sine argumento inepte effutuunt.

<sup>1</sup> Cfr. sup. fasc. VII.

Alii eo laborant loquendi cacoëthe, ut descendit locum nemini permittant, et sermones narrantis ore evellant.

In oratione alieno potius desiderio morem gerendi, quam adversandi cura sit. Quapropter gaudentem narrare ne turbaveris, quamvis eadem noveris.

Quod si narrationem mendaciunculo forte adspergat, haud illico est obiurgandus, aut conceptis verbis, aut capitibus motu, vel oculis torvis, uti complurium mos est profitentium, nullomodo se posse mendacii amaritudinem pati.

Hoc quoque dedecet, dum alius loquitur, audientium aures et oculos alio traducere.

Attentas praebet loquenti aures, ne identidem tibi queritandum sit: « Quid?... Quomodo? ».

Ut plurimum vitandum quidquid alieni sermonis cursum retardare aut intercipere potest.

Tarde loquentem ne praecurras neve adiuves verbis, quamvis et tibi superent et illi deficiant: plurimi enim id aegre ferunt; maxime qui hoc sibi persuadent, se in dicendo valere.

Atque hoc tibi compertum sit, omnes sibi videre bene loqui, licet id nonnulli modestiae causa negent.

Equidem, unde fiat, ut, qui minus scit, plus sermocinetur, coniectura consequi nequeo. Quod bene morati viri quam maxime caveant; etenim vix fieri potest ut multa loquens multa non peccet: praeterea qui effatur, audientibus quodammodo praestare videtur, velut magister discipulis. Verum, ut loquacitas, sic longius silentium fastidium párere consuevit. Loquendo enim animum nostrum aliis patefacimus; contra, tacendo, nostros affectus quodammodo obtegere videmur.

Quae ad urbanam vitae rationem pertinent, non scientiam tantum atque regulam, sed usum quoque requirunt, qui nequaquam momento, vel exiguo temporis spatio acquiritur.

Naturam, licet potentissimam, usus saepe vincit et corrigit. Mature igitur est coercenda atque domanda, prius quam auctis viribus exultare possit. Sed a plerisque nequaquam

fit, qui, libidinem sequuti, naturam sequi se putant; quasi ratio in hominibus praeter naturam sit.

Homines pulra et decora adamant; contra, sordida atque deformia fastidiunt; nec id tantum in rebus quae ad corpus, sed etiam in iis quae ad hominum sermonem et agendam rationem spectant. Ab hac igitur rerum deformitate et inelegantia cavebis pari, imo etiam maiori studio, quam ab illis de quibus hactenus verba feci. Difficilis in illis peccatum cognosces, quia facilius sensu intellectu percipimus.

Haud igitur sufficit actus nostros decentes esse: venusti sint etiam oportet.

(Ad proximum numerum).

I. S. P.

## ANNALES

### Europaeum bellum.

Qui, post superiorem recensionem nostram, sequuti bellici eventus sunt, ii tanti momenti fuere, ut singulas consociatorum exercituum victorias persequi contra Teutones eorumque asseclas reportatas, nimis profecto longum fiat. Quo facilius Fochi, supremi foederatorum ducis, provida mens acutaque consilia apprime intelligentur, animum in id advertere satis sit: hostes loca illa iam sine recuperandi spe amisisse, quae totidem offensionis quasi discussus constituebant, unde ad Lutetiam Parisiorum, Ambianum, mareque pervenirent. Fines enim in quos hodie Germani repulsi sunt, veluti curvaturam efformant, imo quasi angulum, cuius alterum latus a septentrione ad meridiem a marinis oris procedit ad Anizys castrum; alterum ab occidente ad orientem, ab eodem oppido ad Lorenensem provinciam. Postquam autem consociatae Gallorum, Anglorum, Americanorum Italorumque copiae, terra omni redempta quam Teutones ultima offensione occupaverant, hosce ad Hindenburgi val-

lum, quod vulgo nuncupatum est, ursere, quinimo hic illic vallum ipsum effregerunt, Belgae, qui patienter horam suam praestolati sunt, magno impetu iter Bruges-Roulers-Menin invasere, Douai ad urbem tendentes, dum Angli Camberacum obsidione cingunt. Cum his gesta coniungi possunt, quae in vertice anguli, quem descriptimus, agitantur; ubi Sancti Gobain et Laon montes in dies Gallis restituuntur, transversus per Chemin-des-Dames aditus obice suo liberatur; ulterius denique Sancti Quintini et La Fere urbes in eo sunt, ut ab hostili dominatione vindicentur. In Argaunis denique Galli ipsi et Americani Germanos vehementer lassunt, qui tum in centro, tum in sinistro praesertim cornu, a Flandris ad Camberacum, retro ulterius cedere coacti sunt.

Haud minori successu res in Macedonia procedunt, ubi, tripartito agmine, Anglo-Graeci Salonikio profecti Belesque montibus potiti, Kosturini Bulgarorum fines praetergressi sunt, iter ad Strumitza facientes; Gallo-Serbi, Istip et Veles ad urbes quum pervenissent atque cepissent, ad Uskub urbem appropinquarent; Itali denique hinc per Prilep regionem procedunt, inde, Cernae flumine superato, per viam Monastir-Cicevo, Austriacos cogentes in Albaniam recedere.

Neque satis: Angli enim funestissimam cladem Turcis in Palaestina intulere, Christianoque populo Nablus, et Nazareth et Bethleem sacris oppidis tandem redditis, ad Tiberiadis lacum, Iordanem flumen et Amman urbem pervenire; Damascumque minitari hodie nunciantur.

Dum haec geruntur, Burian, supremus Austrorum administer, bellantes omnes, nomine gubernii sui, invitat ut legati a singulis nationibus delecti in aliquam urbem, quae civitatis sit neutri parti faventis, convenient de pace disputaturi. Ecquid vero? Quum Vilsonus, civitatum foederatorum Septentrionalis Americae praeses, et cum eo gubernia in Europa consociata, semel atque iterum consilia sua circa iustum pacem sine ambagibus aperuerint;

quin etiam quae principia omnino necessaria putarent ad durabilem pacem constituant, imprimis aequis populorum de libertate desideriis morem gerendum; de hisce ne verbum quidem Austriaca invitatio fatebatur. Adde, orationes tum a Germanicis, tum ab Austriaci imperii administris paucis diebus ante ipsam invitationem habitas, culibet territorii cessioni viam omnem praeclusisse immutabilaque omnino enucleasse foedera cum Russis et Rumenis icta, quibus suppresso prorsus spiritu miserae illae gentes conficiebantur. Nil mirum igitur si Austriacorum invitatio ab adversariis omnibus subitam repulsam passa fuerit.

Contraria ex adverso sors Bulgarorum provocationi contigit, qui unius miseriae exitum alterius esse caput aperte quum vidissent, nulla proposita conditione, sese suaque omnia in fidem ac potestatem hostium permiserunt, armisque positis inducias obtinuere.

Erit ne inde immanis huius caedis *finis initium?* Putant plerique, nosque ex animo ominamur.


\*\*

### Russicae res.

Interim civile bellum, stragis terrorisque imperium infelici in illa Russia perdurat!...

Kalendas Octobr. MCMXVIII.

POPULICOLA.



## ROMA SACRA

### Commissio Pontificia ad Codicis Iuris Canonici canones rite interpretandos.

*Dubia varia in plenariis coetibus dd. 2-3 mens. Iunii 1918 soluta de matrimonio.*<sup>1</sup>

V. — Vis novi Codicis estne retroactiva in his, quae modificantur circa sponsalia et impedimenta tum impedientia quam diri-

<sup>1</sup> Cfr. num. sup.

mentia matrimonium, ita ut quodlibet ius acquisitum vigore sponsalium validorum, nullimode possit reclamari, nisi in quantum novus Codex concedit, et contracta impedimenta modificata a novo Codice, nulla dispensatione indigeant? (Cann. 4, 10).

Resp.: Codici, etiam quoad sponsalia et impedimenta, non esse vim retro activam: sponsalia autem et matrimonia regi iure vi genti quando contracta sunt vel contrahentur, salvo tamen, quoad actionem ex sponsalibus, canone 1017, § 3.

VI. — Quid dicendum de matrimoniis, si qua nulla sint ex capite impedimentorum a novo Codice abrogatorum: fiunt ne matrimonia illa valida ipsa promulgatione novi Codicis, an etiam post dictam promulgationem indigent dispensatione, sanatione, etc.? (Cannones 4, 10).

Resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

VII. — Utrum cognatio spiritualis ante diem Pentecostes anni 1918 contracta ultra terminos nunc a novo Codice definitos in can. 768, a praefata Pentecostes die ipso facto cesseret quoad omnes effectus, an tantum desinat esse impedimentum ad matrimonium (Cann. 768, 1079).

Resp.: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

## VACUI TEMPORIS HORA

Post Hierosolymam urbem sunt igitur et Nazareth et Bethleem oppida Christianis gentibus feliciter reddit, quibus, pacis tempore restituto, expeditius profecto tutiusque in dies erit iter ad sancta illa loca visitanda; eoque magis, si mente repetiverimus quae pericula maiores nostri illuc **peregrinantes** ad pietatis suaे sensus explendos aggredi cogerentur. « Actions tres-Wurtembergus

comes quidam suo tempore scribebat-nec suadere nec dissuadere alicui auserim: uxorem ducere, bellum indicere, iter aggredi ad Hierosolymam: optimae enim ipsae sunt in se; sed pessimus exitus iis contingere potest ». Certe supremae a piis illis compen bantur tabulae ante professionem, utque satis vulgata tunc temporis verba referam, noxii conscientiae humores syrupo contritionis atque confessionis ante iter purgabantur. Inter sarcinas autem quas secum quisque ferret capsula lignea plerumque erat, cuius finis in vetere quodam *Itinerario* hisce verbis exprimitur: « O sancti sepulchri advena, ne omittas lignea arca te munire, iuxta tuum corpus plus minusve longa, quaeque prorsus obseretur. Erit enim tibi scamnum in die, lectulus in nocte, armarium ad cibaria servanda, fereum denique in quo te proiicient in mare, si, quemadmodum facile fiet, in itinere morieris ». Cibaria autem erant caricae, vinum, aromata, succidia, etc.

Praeterea a quovis peregrinante omitti non poterat, sub excommunicationis poena, peculiaris in scriptis venia Apostolicae Sedis; auctore insuper Affagart, marsupia tria necesse erant: patientiae, fidei, et... pecuniae. Ecquis enim dubitaverit illorum itinerum impensas maximas evadere?

Nihil tamen difficile erat viris illis pietate sua ad bona omnia, ipsamque vitam amittenda paratis, dummodo terram illam premerent, in qua humani generis Redemptor vitam exegit, quamque sanguine suo irroravit. Utinam et nos iisdem animi sensibus abunde nunc expleamur!

\*\*

Aestus plus aequo hoc anno productus insolitam lassitudinem parere nobis visus est. Atqui lassitudinis sensum, quo afficiamur, tamquam corporis defensionem, quin etiam naturae monitum, habere debemus: indicit enim quietem nobis. Profecto quies unicum verumque est **lassitudinis remedium**.

Sunt equidem res, ac praesertim potus,

quae, stimulantum nomine, ad vincendam lassitudinem adhiberi solent; haec vero lassitudinis doli potius dicenda sunt, atque valetudinis hostes; namque post breves per hanc artem vires resumptas ea semper sequitur spirituum depressio, ut laboris vis nulla prorsus efficiatur. Adde, ad fallacem hanc illusionem obtinendam necesse esse singulis vicibus illarum rerum dosim augere. Lagrange doctor, qui ad rem studia atque experimenta, eaque in se ipso, agitavit, auctor est, post laborem sese pocula ex caffea duo ad vires robendas sumpsisse; post alterum tria sibi hauienda fuisse; sicque deinceps, ita ut ad laborem eumdem producendum ad pocula duodecim in die pervenerit.

Sunt qui ad alimenta confugunt ut lassitudinem reficiant. Haec reapse reparans, prout dicitur, elementum corpori sufficiunt, nempe calorem: lassus enim homo calorem quem in corpore possidet unice in labore insumit. Atvero alimenta in calorem non prius translata erunt quam concoxeris tibique adsimilaveris: quod igitur subitum solatum ab aliquo inde statim sumi videtur, haud aliter explicari licet nisi per psychicam vim, sive suggestionem. Non aliter equus longo itinere fessus lenteque procedens prope stabulum ad granarium cursum ex improvviso reddit; nobisque ipsis interdum periculi timor, praemii spes, appropinquantis metae visus satis sunt ad novas vires corpori praebendas.

Ceterum labor quilibet contentionem exigit suamque gignit lassitudinem: quum labori alicui per usum assuescamus, huiusmodi lassitudinis sensus paullatim deficit; interdum etiam consuetudine extinguitur. Ex habitu igitur lassitudinis remedium imprimis quae ras; ex quiete deinceps, quod princeps est lassitudinis pharmacum.

Optime itaque egit *Almae Romae nostrae* Moderator, qui ita componere commentarii res valuit, ut bis tantum in tribus mensibus me scribere coegerit, vosque, lectores humanissimi, ab ineptiarum legendarum mearum lassitudine allevavit.

\*\*

## Ioci

Tuccius scholam ingreditur coma prorsus incompta, eique Magister:

— Heus tu! Nonne te pudet tam inconde in scholam venire? Videris neque pecten, neque peniculum te possidere, crini adhibenda.

TUCCIUS. — Evidem non possideo.

MAGISTER. — Paternis saltem huiusmodi instrumentis utere.

TUCCIUS. — Ne pater quidem meus ea possidet: quum minime ei sit opus.

MAGISTER. — Ecastor! Quomodo igitur capillos ordinat suos?

TUCCIUS. — Non ordinat: calvet etenim.

In ciborum caritate Tuccii pater nauticos panes nonnullos emere valuit, quibus annariae tesserae rigori suppleret. Quum vero ad coenam ventum sit, frustra eos requirit:

— Quorsum abierunt?...

Cui TUCCIUS:

— Ne timeas; in tutum abierunt.

— Scilicet?...

— In stomachum meum!

— O omnium avidissime! Tot illis panibus tete simul ingurgitasti?

— Non simul; alium enim post alium comedи.

## Aenigmata

(a socio A. MORCHIO proposita).

I

Quattuor enumerat parvas quae *prima* so[rores.

Appetit, odit, amat quae sedes *altera* vitae. Partes iunge: acidus demum sapor *integra*, [lector.

II

Te iubet ire *prior*; dare te iubet *altera*. Partes iunxeris? Est Phrigiae montanum *summa* [cacumen.

(Aenigmata in superiore fasciculo propo sita his respondent: 1] *O-pes*; 2] *Ab-amita*). Iosfor.

# AD "CARCEREM,,

ACTIONE DRAMATICA I. B. FRANCESIA IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

AMBR. Hoc arguento sacerdos hic abstinet  
Et omnium frangit corda facillime.  
Tulit mox bellam, nobilem victoriam.  
Ut apte docet, territat commodius,  
Et omnes instruit suasu blandior!  
« Tu religionis qui praecepta negligis,  
Etsi vitabis astutia carcerem,  
Si multa in agro creverint zizania,  
Te lacerabunt stimuli conscientiae,  
Manebunt inferi tristes post funera!  
Eheu! quot sunt reprobis poenarum  
[cumuli! »  
Cavas ad aures eius verbum penetrat,  
Ut imber intus aridum subit solum  
Veni!...<sup>1</sup>

PUER.<sup>2</sup> Foret quam laeta felix occasio!  
I. MILES. Eamus et nos.<sup>3</sup>  
PUER. Nunquam optabilius  
Quid hinc exire si tentabo venerit?  
Iuvat audaces si fortuna dicitur,  
Iactabo pulchre, quid mirum?, aleam.  
Hinc silentiosus pennisque rapidis  
Ero ales libero volatu deuuo.<sup>4</sup>

## SCENA IX.

MILITES, AMBROSIUS, *deinde, suo tempore,*  
EUSEBIUS, RECTOR *hinc inde adcurrentes.*  
I. MILES. Persuasiorem nunquam sentisse vi-

[deor...

II. MILES. Quae vox!  
I. MILES. Qui gestus!  
AMBR. Et quae vitae sanctitas!  
I. MILES. At, at, quo noster ales volitavit?  
[Heu!  
II. MILES. Interii!  
I. MILES. Occidi!  
II. MILES. Qui fecisti, ianitor!

<sup>1</sup> Eos ducit manu ad partem templi.

<sup>2</sup> Intra se.

<sup>3</sup> Exeunt.

<sup>4</sup> Fugit.

AMBR. Ad arma, ad arma, milites, adcurrite!  
Abiit! Excessit! Custodite ianuam!<sup>1</sup>

EUSEBIUS. Quid est?

I. MILES. Duxi nuper...

RECT. Quem?

I. MILES. Duxi latrunculum.

RECT. Ubi est?

I. MILES. Erat hic!

RECT. Et nunc?

EUSEBIUS. Quoniam se condidit?

I. MILES. Fugit!

II. MILES. Evasit!

RECT. At tradidisti nemini?

I. MILES. Eramus omnes...

RECT. In grillis!

AMBR. Adest furcifer!

Nec ipsa evasit carceris vel limina,  
Et in manum incidit securam militis,  
Eum qui duxit ad pistrinum denuo!

I. MILES. Qui timor!

II. MILES. Agedum, veni!

RECT. Quid in mentem venerat?

PUER. Apertas ianuas bona sorte videram,  
Et nullam mihi pulchriorem credidi  
Occasionem nocturnum esse in poste-

[rum,

Hinc me subripui caute solertior.

Aves in silvis volitant feliciter!...

RECT. Nec plura!

AMBR. Plurimum dixisti! Nunc tace.

I. MILES. Et intra in arctam merito custodiam.

PUER. I prae!

AMBR. Cede tuis cum sycophanti!<sup>3</sup>

(Ad proximum numerum).

<sup>1</sup> Exit, clamans.

<sup>2</sup> Supervenit manu dicens Puerum.

<sup>3</sup> Eunt intus cum Rectore.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

C. DEL VECCHIO

